Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1007
Quelle:
Copyright:

Dum cras est Protbus decessit Rex ludouicus. Anno CCCLXXVII.
Sceptra Sigismundi vindex conceptio strinxit. M. CCCC. XXXVII.
Peior praga cibis scindis bei lassla Clementis. 1457.

Fallit annus primus; obiit enim *Ludovicus* I. Rex *Hungariae* anno demum 1382. Festum *Proti* est 11. *Sept.* sunt tamen, qui Regis mortem 12. adsignant. Ita quidam *Sigismundum* 9. *Dec.* mortuum scribunt, cum Festum *Conceptionis* B. V. 8. agatur. De *Ladislao Posthumo* dies et annus recte habent. In postica: *Magister Johannes de Pewrbach dedit 1. flor. Vngar.* Non itaque *Georgius* celeber Mathematicus noster.

CCCCXXXIII.

R. 2142 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 41. 8. per duas columnas minute, et priore parte nitide exaratus, rubricisque distinctus titulum praefert: *Incipiunt meditationes Bernardi.* Ad oram inferam manus συγγενος adjecit: *Anno domini M°. C°. XIII°. A constitutione domus cystercen. XV°. seruus dei Bernardus Annos natus XXII. cystercium ingressus cum socijs amplius quam XXX. sub abbate stephano christi iugo collum submisit. Meditationes* ipsas *Bernhardo* detrahit Editio *Opp. Mauriana* T. V. *Paris.* 1690. *col.* 319. f. Mirum, quod in Codice praesenti a *Capite* incipiunt, quod in illa Edit. ultimum est: *Dies hominis sicut umbra super terram* &c. et ultimum esse debet propter adjunctam δοξολογιαν: *qui vivit et regnat* &c. Ceterum alia etiam divisione Capita non XV. sed XVI. censet, et lectione abit, cujus specimen sit ex eodem Capite:

Codex	Editio
Exurgat deus et cadat armatus iste. Cadat et conuertatur. Iniquus homo est, contemptor dei, cultor sui, amicus mundi, seruus diaboli. Quid tibi uidetur? Sed recte sentis, mecum dicis: Reus est mortis, crucifigatur. Noli dissimulare, noli differre, noli parcere, sed festinanter, audacter, instanter crucifige hominem hunc, sed cruce christi, in quo est salus et uita, ad quem si ex corde clamaverit crucifixus, audiet benigne respondentem: Hodie mecum eris in paradyso.	*Exurgat Deus, et cadat armatus iste: cadat et conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor sui, amator mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? Si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere: sed festinanter, audacter, instanter crucifige hominem istum, sed cruce Christi, in qua est salus, et vita, ad quem si ex corde clamaveris, Crucifixus tuus audiet te benigne respondens: Hodie mecum eris in paradiso.*